

Matthaeus Volland Johannes Henricus Wagenerus

## Collegii Logici Disputatio XI. De Demonstratione

Rostochii: Kilius, 1642


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729609367>

Druck Freier  Zugang



R. u. phil. 1642

Voland, Matthias,  
Collegii logici disputatio  
2-11



כ"ח כ"ח  
COLLEGII LOGICI  
Disputatio XI.

De  
DEMONSTRATIONE.

Quam  
PERMISSU  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,  
In Alma Rosarum.

SUB PRÆSIDIO  
M. MATTHÆI VOLAND

Moeno-Francofurtani S. S. Theol.

Studiofi,

*Prestantissimis & literatissimis suis Dominis  
Collegis venerationem proponis*

JOHANNES HENRICUS WAGENERUS.

Cellens: Lunæburg:

*Ad diem 30. Septembris.*



ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLII.

COLLEGIUM BOGICI

Tabularum XI

DEMONSTRATIONES

Tabularum

PER MATH.

Arithmeticae, Geometriae, Astronomiae, Philosophiae

Tabularum

PER MATH.

M. MATHIASI VOLAND

Tabularum

Tabularum

Tabularum

Tabularum

Tabularum

Tabularum

Tabularum

Tabularum

Tabularum

ROSTOCK

Tabularum



Collegij Logici  
DISPUTATIO XI.

De  
DEMONSTRATIONE.

THESIS I.



On possumus non hic mentionem facere istius  
divisionis, quã dividitur Syllogismus in *Necessa-  
rium, Probabilem, & Sophisticum*. Quæ confide-  
ratio Syllogismi aliàs dicitur materialis.

II. Non moramur hic Ramum, qui *l. 2. Schol.  
Dialect. cap. 3. & lib. 9. cap. 2. Compar. 15.* contra  
Schegk. & alios Rami Interpp. hanc divisionem.

Syllogismi rejiciunt. Quia revera hujusmodi Syllogismi, videlicet,  
vel necessarij, vel probabiles, vel Sophistici occurrunt, adeoq; eti-  
am in Logicis tradendi sunt. Omnia enim cognoscendi instru-  
menta in Logicis proponenda sunt.

III. Inter Syllogismos autem necessarios vel maximè excellit  
ipsa demonstratio.

IV. Vox demonstrationis ambigua est, aliquando est idem,  
quod *ostensio*. Sic ab Anatomicis inspectiones vel sectiones vocan-  
tur demonstrationes: Ita etiam pronomen, Hic, hæc, hoc, vocatur  
demonstrativum. Deinde demonstratio sumitur pro specie quadã  
Syllogismi, qui necessarius est, nominatim quidem pro isto Syllo-  
gismo, qui vocatur demonstratio, procedens vel ex causa, vel ex ef-  
fectu. Ita accipitur vox demonstrationis cū apprehenditur ut com-  
mune nomen indifferens ad demonstrationē τῆ ὄντι & διόντι prout  
de ea agit Arist: 1 post. c. 10. Deniq; 3. accipitur καὶ ἐξ ὁμοιότητος pro no-  
biliori specie demonstrationis h. e. pro demonstratione τῆ διόντι, uti

A

fre-

frequentius & potissimum hanc voem usurpat *Arist. in Post. Anal.* ut meminit Zarabella l. de spec. demonstr: c. 1. 6.

V. Demonstratio in genere ita defini potest. Demonstratio est Syllogismus ex necessaria causa externa & effectu, vel, Demonstratio est syllogismus probans conclusionem necessariam ex efficiente vel fine, vel effectu.

VI. Demonstratio definitur duplici modo ab Aristotele I. Definitio est instituta ratione finis. II. ratione materiae.

VII. Ratione finis considerata hanc habet definitionem: Demonstratio est syllogismus efficiens scientiam.

Scire autem est rem per causam cognoscere, adeoq; scientia est cognitio certa & evidens rei necessariae per causam. Hae definitio desumpta est ex *1. Post. c. 2.* Ubi Aristoteles inquit circa initium capituli: *Planè autem & perfectè rem scire quaquam censetur, ac non Sophistarum modo (qui incertis ac fortuitis continetur) (quando causam perquam res est, ita ipsius rei causam esse cognoscit, ut non posse omnino rem aliter se habere credat. Et infra. tum scimus, quando causam cognoscimus. Hinc 6. Ethic. c. 3. Scientiam dicit esse habitum demonstrativum. Et postea subjungit: Cum rem aliquam quodam modo credit aliquis, & nota sunt ei principia, tum scire dicitur.*

VIII. Circa definitionem scientiae datam duo sunt observanda. 1. genus. 2. differentia. Genus est cognitio, non *sensualis*, sed *intellectiva*, non *apprehensiva* & *experimentalis* sed *discursiva*.

IX. Differentiam perficiunt caetera verba in definitione posita. 1. Scientia debet esse *cognitio certa*, ita distinguitur à dubitatione, suspitione, & fide humana 2. debet esse *evidens*; ut quemadmodum sol in oculos, ita veritas in intellectum influat. Ut intellectus tam clarè rem intelligat, quam clarè oculus sanus rem in radios solares incurrentem intuetur. Sic cognitio super naturalis & fides divina *certa* est, nixa autoritate Domini loquentis infallibili, non tamen est *evidens*. Heb. xi. v. 1. Sed *anigmatica* & *specularis* 1. Corinth. 13. v. 12. Longo itaq; intervallo, à se invicem distant certitudo & evidentiā: Potest enim esse aliquid certissimum, quod tamen non est evidens, uti modo dictum est. 3. scientia est *cognitio rei necessaria per causam*. Distinguendum autem hic est inter causam

sam proximam & remotam. Causa proxima est, quæ interven-  
tu alius causæ non influit in effectum, seu Causa proxima est quæ  
proximè producit effectum. Remota est inter quam & effectum  
alia intervenit. Scientia perfecta fit, *ex causa proxima, non remota.*  
Notandum autem est non omnem scientiam fieri per causam,  
semper propriè & rigidè ita dictam. Nam attributa divina in Me-  
taphysicis, vel uti alij volunt in Pnevmaticis, de DEO cognoscun-  
tur scientificè & tamen attributorum divinatorum nulla causa prop-  
riè dicta datur: Quia attributa divina habent realem identitatem  
ad essentiam divinam. Essentia autem divina est à se & indepen-  
dens & proinde nullam supra se causam habet. Deinde si attri-  
buta divina haberent DEUM tanquam causam propriè di-  
ctam, daretur realis distinctio inter attributa DEI, ejusdemq;  
essentiam. Nam inter causam & causatum propriè dictum datur  
realis distinctio. Verùm absonum & absurdum est statuere in  
DEO realem distinctionem in suo rigore sumtam, adeoq; etiam  
compositionem & sic consequenter imperfectionem: Sic etiam  
attributa transcendentalia demonstrantur de ente, nec tamen ha-  
bent causam propriè dictam: quia illa attributa ut sic præscindunt  
à creato & increato, & consequenter reperiuntur indifferenter in  
rebus creatis & increatis. At si causam veram & propriam haberent  
nō possent reperiri in increato. Causæ itaq; vox hic per ampliatio-  
nem latè sumenda est pro quovis principio, seu, pro eo, quod sumi-  
tur per modum causæ, licet revera non sit, causa. Ita Aristoteles *l. 12.*  
*Metaph. c. 2.* privationem vocavit causam, & Nazian in orat. 29.  
& 35. Danascenus *l. 1. de orthod. fid. c. 8. 9.* & alij DEUM Patrem  
vocant causam filij, ubi dubio procul per causam, intelligunt *prin-*  
*cipium.* Et ita omnis scientia est vel per causam propriè dictam,  
vel per aliquod, quod sumitur ad modum, & rationem causæ. Hæc  
ita Rubrio & alij Scholastici Aristotelis Interpp: utiliter & necessa-  
riò observare in scriptis suis videntur. Vide *scheibl. in tract. Sylo-*  
*gist. c. 15. de demonst. Weger. in Organ. Aristor. quest. 8 in lib. post:*  
*analyt. p. 676.* 4. Scientia est cognitio rei necessaria. Nam de rebus  
contingentibus & mutabilibus nō datur scientia. Requiritur autem  
hic necessitas illationis & causæ, 2. necessitas connexionis prædi-  
cati

cati cum subjecto, vel necessitas complexa. 3. necessitas in complexa terminorum simplicium. Ut cum formo talem syllogismum demonstrativum: Omne rationale est risibile. Omnis homo est rationalis. E. Omnis homo est risibilis. Hic 1. est necessitas illationis & Causæ. Necessariò enim infertur conclusio ex præmissis, & quidem præmissæ sunt causæ rei, cur prædicatum subjecto conveniat. Nam propter rationalitatem tanquam causam necessariam homo est risibilis. 2. Hic etiam est necessitas complexa propositionum. Nam omnes propositiones sunt necessariae, quia datur in ijs necessaria connexio prædicati cum suo subjecto. 3. Necessitas incomplexa terminorum etiam hic reperitur, vide hac de re Weger: in Org: Arist: quest: 9. p. 678. & seqq. Tantum de definitione prima ipsius Aristotelis, pergo ad alteram, quæ, ita proponitur ab Aristotele, uti sequitur, in thesi sequenti.

X. Demonstratio est syllogismus constans ex veris, & primis, & medio carentibus, & notioribus & prioribus, & causis conclusionis Arist. 1. post. text. 8. & 9.

XI. 1. Propositiones in demonstratione debent esse veræ. Natæ ex falsis non nisi falsum sequitur, quæ conclusio falsa non ad demonstrationem, sed ad Syllogismum Sophisticum pertinet. Et licet interdum ex falsis sequatur verum, id tamen fit materialiter, non formaliter, ut e. g. *Omnis homo est lapis: Nullum animal est homo. E. Nullum animal est lapis.* Infertur enim hæc conclusio necessitate consequentiæ, non necessitate consequentis qualis in demonstratione requiritur. Deinde omnis bonus syllogismus, qui omnibus numeris perfectus, & absolutus est, debet præter bonitatem consequentiæ habere etiam præmissas veras. Ergo multo magis in syllogismo demonstrativo tam bonitas materiæ, quam formæ est spectanda.

2 Propositiones in demonstratione debent esse primæ & immediatæ. Propositio prima seu immediata idem significant, adeoq; æquipollent. Ita enim Aristoteles unum per alterum exponit. 1. post. c. 2. §. 10. *Ex primis, inquit, est nihil aliud, quam ex propriis principiis. Idem enim voco primum & principium.* Et subiungit. *Est autem demonstrationis principium propositio medio vacans.*

EA

*Ea verò medio vacat, quâ nulla alia est prior.* Est autem propositio mediata, quando inter prædicatum & subiectum est aliquod medium, quod est causa inhaerentiæ prædicati in subiecto. Talis propositio non est prima, quia illud medium potest complicari & cum subiecto & prædicato positæ propositionis & ex tali complicatione oriuntur duæ propositiones priores positæ propositione mediata. *E.* contrario immediata propositio est, ubi nullum medium inter terminos est, quod causa sit, cur prædicatum subiecto inhaereat. Et hæc propositio etiam prima est, quia cum nullum medium sit, quod cum extremis possit complicari, non etiam oriuntur aliquæ propositiones priores. *E.* ipsa prima est, quia illud primum est, quod non habet priora. *E. g.* *Homo est risibilis.* non est propositio prima, non immediata, sed mediata, quia datur aliquod medium nempe *ratio rationale*, quod causa est, cur risibilitas sit in homine: Hoc medium videlicet *ratio rationale*. Si complicetur cum subiecto & prædicato, Oriuntur duæ propositiones hoc modo: *Homo est rationalis. Rationale est risibile.* Quæ duæ propositiones priores sunt hæc: *Homo est risibilis. Hæc vero propositiones: Homo est rationalis: Rationale est risibile,* sunt immediatæ, quia nullum medium est, cur rationale insit homini, vel quod causa sit, cur risibile dicatur de rationali, & propterea etiam primæ sunt.

Sed hinc insuper notandum est, omnem demonstrationem esse ex primis & immediatis, vel formaliter, vel virtualiter: illud est, si sit ex simpliciter primis: Hoc verò est, si sit ex ijs, in quorum virtute: & capacitæ prima principia continentur ut exponit colleg. *Conimb: in lib. 1. post. c. 2. q. 2. art. 3.* Hinc Aristoteles *1. Top. c. 1.* ait disjunctivè: Ex primis vel ejusmodi, quæ à quibusdam veris & primis suæ cognitionis originem sumpserunt.

XII. Propositio immediata dicitur ita vel ratione subiecti: vel ratione causæ: Immediata ratione subiecti est, quâ significatur prædicatum immediatè inesse subiecto, ita ut nulli insit per prius Hujusmodi propositio est hæc: *Homo est risibilis,* & omnes aliæ, in quibus affectio propria dicitur de subiecto proprio. Hæc verò propositio: *Animal est risibile,* non immediata est ratione subiecti, quia animali inest risibilitas, non tanquam subiecto primario, sed

Secundario Propositio immediata ratione causæ est, quâ innuitur prædicatum inesse subjecto non per causam aliquam priorem. Inprimis & potissimum intelliguntur hinc immediatæ propositiones ratione causæ. Quia eæ tales sunt, quæ non possunt demonstrari à priori, & ostensivè per priorem causam aliquam, cur in conclusione propria affectio subjecto conveniat. Hinc etiam propositio immediata vocatur indemonstrabilis, quia caret medio, quo ostensivè per causam essendi & cognoscendi demonstrari possit.

XIII. Propositio immediata alia est talis absolutè, quæ simpliciter non habet *medium* aliquod, per quod à priori demonstrari possit: alia est immediata secundum quid, quæ licet absolutè non sit immediata, immediatis tamen subest, & in illas resolvitur, inde dicitur immediata virtute. Ad demonstrationem autem non præcisè requirit Aristoteles immediatam absolutè, sed admittit etiam immediatam virtute, hoc est, quæ in immediatas resolvitur. Hinc Aristoteles. 1. Top. c. 1. dicit demonstrationem esse *ex primis, vel ex ejusmodi, quæ ex quibusdam veris & primis originem sumpserunt*, sic uti supra in *thesew* II. sine huic locum citavimus. Ad demonstrationem igitur non necessariò requiritur, ut omnes præmissæ actu sint immediatæ, sufficit si sit aliqua præsertim minor immediata virtute; Si tamen utraq; præmissa sit immediata actualiter, sit eò perfectior demonstratio. Ut e.g. *Omne rationale est risibile. Omnis homo est rationalis. E. omnis homo est risibilis.*

XIV. 3. Propositiones in demonstratione debent esse priores & notiores conclusione. Demonstratio cū sit duplex, duplex etiam prioritas & notioritas, ut loqui sic mihi liceat, est observanda. Aliquid est vel *naturæ*, vel *nobis* prius & notius. Prius, & notius *naturæ*, illud dicitur, à quo cognitio alterius pendet ex natura rei. Ab eo autem res aliqua ex sua natura dependet in cognosci, à quo dependet in esse. Hinc itaq; notiora sunt causæ respectu effectuum, principia respectu eorum quæ constituunt, partes respectu totius, abstracta respectu concretorum, universalialia respectu singularium. Prius & notius nobis dicitur illud, quod à nobis facilius cognoscitur, licet ab illo notitia alterius non dependeat ex natura sua: qualia sunt omnia ea, quæ sensibus sunt propinquiora, ut sunt effectus,

com-

composita, concreta singularia &c. & omnia magis sensibilia. Hinc singularia, quia sensibus sunt propinquiora, notiora sunt nobis. Universalia autem, quia remotiora à sensibus sunt, notiora sunt naturâ! Hisce præmissis dicimus in demonstratione à priori, quæ affectionem demonstrat per principium & causam, præmissas debere esse priores & notiores naturâ. In demonstratione verò à posteriori præmissæ debent esse priores & notiores nobis. Vide *Weger. in org: Arist. quest. 7. in lib. post: Analyt: à p. 664. usq; ad p. 673. & prolixè Colleg: Commb: r. post: c. 2. quest. 2. art. 4. s. 6.*

XV. 4. Propositiones in demonstratione debent esse causæ conclusionis. Non sufficit ut in demonstratione una propositio sit notior alterâ, sed requiritur, ut altera ignotior ex notiori possit deduci. Absynthium esse amarum, notius quidem est, quam anstellæ moveantur per se, vel cum suis ordibus, Hæc tamen notitia nihil facit ad rem, quia prior propositio non est causa consequentiæ posterioris.

XVI. Sunt autem causæ vel cognoscendi, vel essendi. In perfectissima demonstratione præmissæ debent esse non tantum causæ cognoscendi conclusionis sed etiam causæ essendi. Nam in omni syllogismo etiam formaliter considerato præmissæ sunt causæ, cur conclusio sit & etiam causæ cognoscendi, sed tamen non sunt semper causæ essendi e. g. *Omnis equus est animal. Bucephalus est equus. E. Bucephalus est animal.* Hic præmissæ sunt quidem causæ cognoscendi, sed non essendi, quia equus non est causa animalis, sed potius est species animalis. Item: *Omne risibile est rationale. Omnis homo est risibilis. E. Omnis homo est rationalis.* Hic præmissæ iidem sunt causæ cognoscendi, sed non essendi: quia terminus medius, *risibilitas*, non est causa rationalitatis, sed est effectus ejus. Hic rursus observandum est, quod supra etiam monuimus non hic semper requiri veram causam & effectum, adeoque realem distinctionem causæ & effectus. sed sufficere ut aliquid sit interdum conceptibile per modum causæ & effectus, quamvis revera non sit causa & effectus. Qui enim fecerit talem demonstrationem: *Omne immutabile est æternum, DEUS est immutabilis. E. DEUS est æternus.*

Non

Non habet præmissas in rigore causas conclusionis, quia immutabilitas non est revera causa æternitatis, neq; realiter immutabilitas ab æternitate distinguitur; Nam æternitas & immutabilitas sunt attribuita divina, quæ cum ipsa essentia divina identificantur. Concipitur autem immutabilitas à nobis per modum causæ æternitatis, licet vera causa ejusdem non sit, sed potius principium: Sicuti in divinis Pater rectissimè dicitur principium filij, ut nostrates Theologi libenter admittunt, sed tamen incongruè & absurdè causa filij dicitur, si in rigore suo causa sumatur.

XVII. Dubia duo hæc solvenda sunt. 1. est, quomodo propositiones in demonstratione possint esse causæ conclusionis, cum causa res sit, & non propositio. Resp. cum Averroë, præmissas esse causas conclusionis non quatenus sunt propositiones, sed respectu termini medij, qui causa est, quam præmissæ continent. 2. est, quomodo præmissæ dicantur causæ in plurali numero, cum tamen scientia, quæ per demonstrationem acquiritur, ex una fiat causa. Nam scire est rem per causam cognoscere, uti hoc axioma in Scholis Logicorum ceu usitatissimum circumfertur. Resp. Scientia revera est per causam unam, quia medius terminus unus est, sed quoniam terminus medius & in majore & in minore positus est, & ita duæ propositiones ab eo constituuntur, ideo dixit Aristoteles præmissas esse causas, non unitatem termini medij, sed pluralitatem propositionum ex medio constitutarum respiciens: Tantum de definitione altera Aristotelis.

XVIII. Propositiones in demonstratione debent esse necessaria: Hinc operæ pretium facturos nos existimamus, si gradus necessitatis, qui hic aliàs explicari solent & debent, nos explicaverimus. Gradus autem propositionum necessariorum sunt tres. 1. κατὰ παντός de omni, 2. καθ' αυτὸ per se. 3. καθ' ὅλα πρῶτον Universaliter primum. Appellatur gradus propterea, quia posterior semper includit priorem, & absq; eo esse non potest, prior verò esse potest absq; posterioribus.

XIX. Propositio κατὰ παντός est, cum prædicatum dicitur in esse omni subiecto & semper. Aristoteles, lib. 1. post. Analyt. cap. 4. §. 3. inquit: κατὰ παντός τὸ τοῦ λόγου, ὃ ἂν ἢ μὴ ἐπὶ τινὶ μὲν τινὶ

δέ μή, μήτε ποτε μή, ποτέ δέ μή h. e. De omni dico id, quod non fit de aliquo, de aliquo verò non, neq; aliquando quidem, aliquando verò non fit. Ex utraq; definitione intelligi videtur, duo requisita esse necessaria, ut propositio de omni rectè intelligatur. Primum est subjecti universalitas, alterum temporis perpetuitas, (1. ut prædicatum in fit omni subjecto, 2. Ut semper & omni tempore in fit.) Addunt alij Logici circumstantiarum universalitatem.

XX. Interpretes dictum de omni duplex faciunt prioristicum & posterioristicum. Ad prioristicum sufficit subjecti universalitas, licet desit temporis perpetuitas. Et de hoc egimus supra in disputatione IX. Vocatur autem prioristicum, quia Aristoteles de eo agit in libris, quæ appellantur priora analytica. De posterioristico, quod requirit & subjecti universalitatem, & temporis perpetuitatem hîc agitur. Vocatur autem ita, quia Aristoteles de eo agit in *post. Analyt.* Sic hæc propositiones: omnes discipuli sunt in Schola: Omnes homines sunt in templo, non sunt propositiones *κατά παντός* seu de omni, sicuti hîc loci necessariae sunt, nam altera conditio propositionis *κατά παντός* deest, videlicet, perpetuitas temporis. Non enim semper omnes discipuli sunt in Schola, nec omnes homines semper sunt in templo. Cum verò dico, *Omni homo est risibilis*: est propositio *κατά παντός* seu de omni posterioristico, quia omni homini & quidem semper inest risibilitas. Observetur & hîc alterum discrimen inter propositiones de Omni & prioristico & posterioristico: Propositio de omni prioristico, debet habere signum universale. Propositio verò de omni posterioristico non necessariò habet signum universale. Ratio, quia hæc est in materia necessaria; ideo et si indefinitè profertur, universalis esse intelligitur.

XXI. Propositio *κατ' αὐτὸ* seu per se est, inter cuius subjectum, & prædicatum est respectus essentialis.

XXII. Modi per se sunt quatuor. Propositio per se primi modi est, quando prædicatum est de essentia & definitione subjecti. In hoc modo quinque propositionum genera ponuntur. 1. Cum prædicatur genus proximum de specie. Ut: *Homo est animal.* 2. Quando prædicatur differentia proxima de specie, ut: *Homo est rationalis.*

li. 3. Cum prædicatur definitio de specie, ut: *Homo est animal rationale*. 4. Cum datur prædicatio generis remoti de specie, ut: *Homo est corpus*. 5. Cum prædicatur differentia remota de specie, ut: *Homo est animatus*.

XXIII. Propositio secundi modi per se est, cujus subjectum est de definitione prædicati: Tales propositiones sunt, quando propria accidentia vel attributa propria prædicantur de suis subjectis, ut: *Leo est rugibilis*. *Homo est risibilis*. Obseruetur propositiones in duobus hisce modis per se debere esse naturales. Sic hæ propositiones *Animal est homo*, *rationale est homo* non sunt per se primi modi, quia propositiones hæ non sunt naturales, vide Zabarell. cap. 4. in lib. 3. post: *Analy. p. m. 701*.

XXIV. Propositio tertij modi per se est, quando existentia prædicatur de substantia, ut: *Homo est*, sive *existit*. Intelligitur autem hic cum primis substantia secunda, non prima. Ratio, quia propositio per se debet etiam esse *κατὰ πάντος*, id quod omnium calculus approbatum est. At quando existentia prædicatur de substantia prima, propositio non fit *κατὰ πάντος*. Quia propositio *κατὰ πάντος* est universalis, omnis autem propositio universalis est etiam de subjecto universalis: At substantia prima est subjectum singulare. E. talis propositio non est per se. Solæ itaq; prædicationes existentia de substantia secunda videntur esse in tertio modo per se.

XXV. Propositio 4. modi per se est, in quâ Causa externa proxima aum effectu disponitur: Vel contra effectus dicitur de sua causa externa proxima: Illa causa externa est vel efficiens vel finis. c. g. *Rationale est risibile*. *Interpositio terra, inter Solem & Lunam efficit eclipsin*. *Risibile est rationale*. *Ecclipsis Luna fit ob interpositionem terra inter Solem & Lunam*. Duo priora exempla exhibent prædicationem effectus de causa sua proxima. Duo verò posteriora ostendunt, quomodo causa de effectu prædicetur.

XXVI. Propositio *καθ' ὅλε* est ultimus & summus necessitatis gradus priores duos includens. Est itaq; propositio *καθ' ὅλε*, quando prædicatum non modò omni subjecto semper & per se inest, sed etiam quatenus tale est, & reciprocate. Hinc Aristoteles definit ita *1. post. c. 4 § 9 καθ' ὅλε λέγω ὅ ἄν κατὰ πάντος ὑπάρχη καὶ καθ' αὐτὸ καὶ ἡ ἀσπὸ*. Universale dico, quod inest de omni, per se, & quatenus ipsum.

CON

XXVII. Conditiones verò nonnullæ sunt observandæ de propositione Catholica. 1. Propositio καθόλου est etiam κατὰ παντός & καθ' αὐτό. 2. In Propositione καθόλου prædicatum debet convenire subjecto, quâ tale est. Ubi notandum est, vox quatenus sumi ambiguè vel specificativè, vel reduplicativè. Reduplicativè sumitur, cum quatenus indicat subjecto convenire prædicatum per propriam essentiam, vel cum dicitur subjectū continere præcisam causam in se ipsius sui attributi, atq; adeo significat eandem esse rationem, per quam subjectum sit hoc ipsum, & per quâ etiam ista passio ei conveniat, ut: *Homo quâ homo est risibilis*. Sensus hujus propositionis est. Homo per se & secundum esse humanum est risibilis. Specificativè sumitur τὸ quatenus cum modificat terminum, cui apponitur, ut *Homo quâ homo est albus*, i. e. illa res, quæ homo dicitur sive quæ esse humanū habet, est alba, vel specificativè dicitur accipi τὸ quatenus, quando solum indicat subjectum sumendum esse in suo formali, non autem significat porro, prædicatum fluere ex illo formali subjecto. In priori significatione videlicet reduplicativa τὸ quatenus hic est sumendum Vide Scheibl: in tract. Log. de proposit. Necess. & conting. pos. &c. c. 4. art. 2. 3. Propositio καθόλου debet esse reciproca, ut: *Omnis homo est risibilis* est propositio καθόλου, ideoq; reciprocationem admittit: Quicquid est risibile, est homo. Vel: *Quodcumq; non est risibile, non est homo*. 4. Prædicatum in propositione καθόλου debet subjecto suo convenire primò. Sic Arist. 1. post. c. 4. §. 12 καθάλας τὸ πρῶτον ὑπάρχει, ὅταν ἐπὶ τὰ πρῶτα de primo δεικνύται propterea etiã vocatur καθόλου πρῶτον universaliter primum. Notandum verò hic est duplicem esse primitatem, aliam ratione subjecti, aliam ratione causæ. Hic intelligitur primitas subjecti ut scilicet prædicatum in propositione Catholica attribuatur primo suo subjecto, Deinde observetur etiam hîc intelligi subjectum denominationis, non informationis. Sic hæc propositio: *Omne corpus est palpabile* est καθόλου, etiam si palpabilitas conveniat priori subjecto informationis, nempe materiæ corporis. Tantum etiã de gradibus necessariorum propositionum dictum esto.

XXVIII. Cognovimus hætenus quales propositiones debeant esse in demonstratione rectissime igitur facimus, si terminos demonstrationis, ex quibus propositiones sunt consideraverimus. Nos igitur etiã necessitate

rente de terminis propositionum demonstrationis aliquid dicturi sumus. Sicuti in omni Syllogismo formaliter considerato tres sunt termini: Ita etiam in Syllogismo demonstrativo tres sunt termini: *Major, Minor, Medius*. Major terminus est ipsa affectio demonstranda de subjecto, minor terminus est subjectum, de quo affectio demonstratur, seu in quo est id, quod demonstratur. Medius terminus est causa per quam fit demonstratio. Tria itaq; hæc sunt in demonstratione. Subjectum, Affectio, & Causa seu principium. Hæc tria, quia ante demonstrationem sunt præcognoscenda, præcognita vulgò dicuntur.

XXIX. Subjectum in demonstratione habet 4. Conditiones. 1. Subjectum debet esse ens per se & necessarium. Nam entis per accidens & rerum contingentium nulla datur scientia. 2. Subjectum debet esse præcognitum & quid sit, & quòd sit. Per particulam quid intelligitur definitio non rei sed nominis, Necessè ergò est, ut cognoscamus nomen subjecti, antequam faciamus demonstrationem. Præterea debemus etiam scire, quod subjectum sit in rerum natura. Nam non entis nullæ sunt affectiones. E. nulla demonstratio. Sic stultè ageret, qui de corpore naturali vellet demonstrare quantitatem, nec sciret dari corpus naturale. 3. Subjectum debet habere proprias affectiones. Propriæ autem affectiones sunt, quæ subjecto per se competunt, cum eo recipiuntur, & faciunt propositionem in secundo modo per se; sic de homine potest esse scientia tanquam de subjecto, quia habet affectiones proprias, quæ sunt risibilitas, potentia acquirendi disciplinas. 4. Subjecti cognitio debet esse quatenus est subjectum. h. e. quia Subjectum substat affectionibus in rerum natura, idè debet etiam considerari, quatenus ipsis substat. Licet ergò Subjectum alicujus disciplinæ interdum simpliciter sit accidens, tamen in ea disciplina, cujus subjectum est, non consideratur ut accidens, sed consideratur ut subjectum aliorum accidentium. E. g. Quantitas est subjectum disciplinarum Mathematicarum, ea simpliciter accidens est, videlicet corporis naturalis, in Mathematicis tamen non consideratur ut accidens, sed ut est subjectum aliorum accidentium seu affectionum. Addunt alii quod subjectum scientiæ debeat habere species: Verum

Verum hic distinguendum est inter subjectum scientiæ totalis & partialis: subjectum scientiæ totalis habet species. Sic Physica habet species. Subjectum scientiæ partialis species non requirit. Sic de homine demonstratur risibilitas, nec tamen homo habet species, sed est ipsa species, quæ individua plura habet. Observetur etiam hic subjectum scientiæ seu demonstrationis unum & idem esse.

Nam scientia nihil aliud est, quam conclusio demonstrationis. Tantum de subjecto, pergo ad declarationem affectionis.

XXX. Affectio est, quæ de subjecto demonstratur. Affectio habet tres conditiones. Affectio subjecto inquit per se & reciprocè. Sic albedo non potest demonstrari de pariete, quia albedo parieti inest accidentaliter, non per se. Non tantum debet inesse per se subjecto, sed etiam debet reciprocari cum subjecto. Sic potentia sentiendi de homine non debet demonstrari; Ratio, quia illa potentia sentiendi non reciprocatur cum homine: Rectè enim dico: *O Homo habet potentiam sentiendi*, Malè tamen & minus congruè dicitur: *quicquid habet potentiam sentiendi, est homo*. Nam animal brutum etiam habet potentiam sentiendi, nec tamen est homo.

Potentia sentiendi de animali demonstrari potest, cum eo enim reciprocatur & animalis propria est affectio. Rectè enim dico: *Omne animal habet potentiam sentiendi, &: Quicquid non habet potentiam sentiendi, non est animal*, Vel; *Omne habens potentiam sentiendi, est animal*. 2. Affectio debet considerari quatenus est affectio, seu quatenus inhaeret subjecto. Sed tamen hic notetur, quòd in alia scientia aliquid possit considerari ut affectio, in alia verò ut subjectum. E.g. Quantitas in Physicis est affectio corporis naturalis, & ibi consideratur ut affectio corpori naturali inhaerens, sed in Mathematicis disciplinis consideratur ut subjectum. 3. Circa affectionem debet prænosci, quid nomen significet, non verò requiritur, ut ejus existentia ut in subjecto inest, præcognoscatur, quia illa, per demonstrationem probatur & in conclusione infertur. Sic ut motum demonstrarem de corpore naturali, sufficit, ut sciam priùs quid significet motus, non requiritur ut jam sciam motum inesse in corpore naturali. Nam si jam sciremus existentiam affectionis in subjecto, frustra esset nostra demonstratio.

XXXI. Verùm antequam hic pedem moveamus ad considerationem causæ vel principii demonstrationis, meritò movemus hanc quæstionem, anne attributum demonstrandum semper sit accidens prædicamentale, ad quam quæstionem ut negativè respondeamus, movemur ex hisce rationibus. 1. Quia de DEO demonstrantur attributa divina, quæ tamen non sunt accidentia prædicamentalia. 2. De ente demonstratio fit per attributa transcendentalia, ubi itidem attributa illa non sunt accidentia prædicamentalia. Tantum de affectione.

XXXII. Principium seu causa est id, per quod fit demonstratio.

XXXIII. Principium est vel complexum vel incomplexum. Principium complexum est integra propositio, sed de hujusmodi principio hîc non loquor, sed de principio incompleto. Idq; est vel efficiens vel finis. Nam per materiam & formam non fit demonstratio, nisi induant naturam efficientis per emanationem. Sed objiciat aliquis materiæ nullam competere actionem, adeoq; non posse fieri causam efficientem, quia efficientis propria causalitas est actio, eaq; realis. Resp. materiæ non convenit actio famosè dicta, id est, hujusmodi, quæ est per transmutationem, quæ famosè solet intelligi sub nomine actionis, interim tamen ipsi convenit actio, per emanationem, quæ ad rationem efficientis sufficit. Præterea dicat aliquis, efficientem & finem causare rem, sed solùm per ordinem ad existentiam: At scientiæ abstrahunt ab existentia & connexio illa, quæ est inter subjectum & passionem similiter est absoluta ab existentia. Resp. Etsi scientia non consideret existentiam sui subjecti vel passionum in illo quasi in actu exercito, considerat tamen eam in actu signato, & quomodo subjecto suo & passionibus illius convenire possit: Vide Svaretz. 1. *Metaph. f. 5. nu. 39.* & Colleg: Conimb. 1. *post: c. 2. q. 3. a. 1. & 3.* Scheibl. *intract: Syllogist: tit. 5. cap. 15. de Demonstrationu medio, num: 53. & 54.*

Observeur autem hîc causam illam per quam fit demonstratio, debere esse proximam, non remotam, quia causa remota, conjuncta cum passione in propositione majore non efficit propositionem immediatam. Demonstratio autem debet habere majorem immediatam.

XXXIV. Quæri

XXXIV. Quæri autem hîc solet, z. an medium demonstratio-  
nis possit esse definitio subjecti, Resp. affirmando hoc, idq; probat-  
tur hoc exemplo: Omne rationale est capax disciplinæ. Omnis  
homo est rationalis. E. Omnis homo est capax disciplinæ. Hîc  
medius terminus est  $\tau\delta$  rationale, quod est differentia constitutiva  
hominis, & pertinet ad ejusdem definitionem. Verùm cum id as-  
serimus, non volumus hoc ita intellectum, quasi tota definitio sub-  
jecti in demonstratione poni debeat, sed quod aliquid pertinens  
ad essentiam & definitionem subjecti pro medio sumi possit.

z. Quæritur hic etiam: An & quomodo medium demonstra-  
tionis sit definitio affectionis. Resp. Medium demonstrationis  
est definitio affectionis. Ratio quia in demonstratione non in-  
tenditur scientia subjecti, sed passionis. Ergo hujus causa quæren-  
da est, quæ faciat eam passionem subjecto suo inesse. Quod au-  
tem alterum attinet, quomodo medium demonstrationis sit  
definitio affectionis, notandum est, non intelligi totam defini-  
tionem, sed solum aliquid pertinens ad ejus definitionem. Has-  
ce duas quæstiones comprehendit hisce verbis vir Excellentis-  
Dannhaw: *in epitom: Dialect: p. 152. Medium demonstratiõis de  
definitionis affectionis esse necessarium est, honorificum de definitione  
subjecti.* Tantùm de causa seu de medio demonstrationis.

XXXV. Hactenus consideravimus demonstrationem quoad  
definitionem, terminos & propositiones, sequitur ergò divisio de-  
monstrationis; Est autem demonstratio vel  $\tau\delta$  *dion* propter quid,  
vel  $\tau\delta$  *õri* quòd. Hæc divisio non est univoca, sed analogæ. De-  
monstratio enim non habet species univocas, sed analogas. In  
omnibus autem speciebus analogis una est primaria, reliquæ se-  
cundariæ: Quod & hîc contingit. Nam demonstratio propter  
quid primaria & perfectissima demonstratio est, demonstratio verò  
quòd est imperfecta demonstratio. Hinc etiam illa quæ hactenus  
dicta sunt in thesibus præcedentibus, primariò intelligenda sunt  
de demonstratione propter quid, secundariò & ex parte de demon-  
stratione quòd.

XXXVI. De-

XXXVI. Demonstratio autem *propter quid* ita vocatur, quia causam, propter quam effectus inest subjecto, continet. Appellatur etiam demonstratio à priori, quia per causam fit, quæ prior est effectui. Appellatur etiam demonstratio absolute & simpliciter. Exempla hujus demonstrationis hæc sunt. *Quicquid habet materiam, est quantum. Omne corpus naturale habet materiam. E. omne corpus naturale est quantum.* Item: *Id, inter quod & Solem terra interponitur, obscuratur. Luna est id, inter quod & Solem terra interponitur, E. Luna obscuratur.* Prior demonstratio est à causa interna, quia materia est in corpore naturali, posterior est à causa externa, quia terra inter Solem & Lunam intercepta est extra Lunam, in qua fit obscuratio.

XXXVII. Demonstratio *Quòd* est duplex; velenim procedit ab effectu adæquato ad causam, vel fit per causam remotam, quæ negatà negatur effectus.

XXXVIII. Demonstratio *quòd* sit, ita vocatur, quia demonstrat tantum quòd res sit, non propter quid sit. Appellatur etiam à posteriori, quia effectus posterior est causà, Appellatur insuper demonstratio signi, quia effectus nos deducit in cognitionem causæ. Ex effectu enim, qui in sensus incurrit, possumus colligere causam, quæ in sensus non incurrit; ut ex contemplatione nobilissimarum creaturarum colligimus causam nobilissimam & supremam, videlicet Deum, à quo omnia hæc creata, quæ cernimus, dependent. Exempla demonstrationis à posteriori sunt, ut: *Omne risibile est rationale. Omnis homo est risibilis. E. Omnis homo est rationalis. Quicquid est quantum, illud habet materiam: Omne corpus naturale est quantum. E. Omne corpus naturale habet materiam.*

XXXIX. Possunt etiam hujusmodi demonstrationes ab effectu fieri negativæ, negato enim effectu proprio & adæquato causa negatur, ut: *Quod non sentit, non est animal. Lapis non sentit, E. Lapis non est animal.* Item: *Quodcumq; ens non hinnit, non est equus, Leo est ens, quod non hinnit. E. Leo non est equus.* Defectus in hac demonstratione est, quia demonstratio *simpliciter* debet progredi à causa, sed hæc procedit ab effectu, Est tamen aliquo modo demonstratio, quia ejus propositiones sunt necessariae.

XL. De.

XL. *Demonstratio* quæ fit à *causa remota* colligit tantum conclusionem negativam, nunquam affirmativam, quia positâ causâ remotâ, non necessariò ponitur effectus, sublatâ tamen causâ remotâ, tollitur effectus. Unde syllogismi demonstrativi à *causa remota* sunt in *secunda figura* in modo *Camestres*. ut. e. g. *Quicquid respirat, habet animam sensitivam, Lapis non habet animam sensitivam. E. lapis non respirat.* In hac demonstratione anima sensitiva est causa remota respirationis, non propinqua, quia positâ animâ sensitivâ, non ponitur respiratio, pisces enim animam sensitivam habent, non tamen respirant. Pulmo enim est causa proxima respirationis. Exinde perspicuum est, nos à *causa remota*, e. g. *animâ sensitivâ* non posse procedere affirmativè ad effectum, respirationem. Negativè tamen optima inferitur consequentia, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus tollitur. Hæc demonstratio à *causa remota* habet aliquam convenientiam cum demonstratione absolute ita dicta, quia utraq; ex causâ fit, sed deficit ab ea 1. quia non est causa proxima, per quam demonstrat. 2. quia propositiones non sunt immediatæ. Demonstratio itaq; ab effectu longè est perfectior illâ, quæ est à *causa remota*. Nam in demonstratione ab effectu propositiones immediatæ sunt, quod non contingit in demonstratione à *causa remota*, ubi neq; adæquata causa est, neque propositiones immediatæ.

XLI. Sed dicat fortassis aliquis hanc divisionem demonstrationis non esse immediatam, sed dari alia genera demonstrationum idq; probet objiciendo. 1. Averrois opinionem facientis tria genera demonstrationum, aliam *τὴ ὄν*, aliam *τὴ δῖόν*, aliam deniq; quâ demonstratur *τὸ ὄν* & *δῖόν* simul. Ita docet ipse 1. *post. com. 95.* & in *epit. cap. de demonstratione & lib. 2. de celo com. 35.* & alibi Resp. Objiciunt hoc dubium, non esse duplicem demonstrationem aliam *propter quid* tantum, aliam. *Quia propter quid simul.* Nam omnis demonstratio *δῖόν* involvit etiam *τὸ ὄν*.

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur demonstratio à *causa* ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam, dabitur etiam demonstratio ab effectu ad effectum alium necessariò connexum. Ratio, quia propter necessariam effectuum connexionem necessa-

ria oritur conclusio Resp. non esse huiusmodi Syllogismum demonstrativum, qui procedit ab effectu ad effectum, quia tanta necessitas ei non inest, quanta requiritur ad demonstrationem. Deinde dico eum quidem suo modo vocari posse necessarium, non tamen demonstrativum. Non omnis autem syllogismus necessarius est statim demonstrativus vide Zabarell *de speciebus demonstr. c. 8.*

3. Obijciunt demonstrationem *per impossibile*. Resp. demonstrationem ad absurdum potest referri vel ad demonstrationem *a priori* vel *a posteriori*: Proponitur enim illa demonstratio per syllogismum hypotheticum, in quo progrediamur à destructione consequentis ad destructionem antecedentis in hunc modum: *Si brutum esset rationale, discurreret: At non discurret. Ergo non est rationale.* Quando demonstratio ducens ad impossibile procedit à destructione consequentis, & continet causam destructionis antecedentis, dicitur propter quid V. g. *Si homo non esset aptus ad capeſſendas disciplinas, non esset particeps rationis. Sed est particeps rationis, Ergo est aptus ad capeſſendas disciplinas.* Si verò destructio consequentis non continet causam destructionis antecedentis, est demonstratio. Quia, uti: *Si homo non esset rationis particeps, non esset aptus ad capeſſendas disciplinas, sed aptus est ad capeſſendas disciplinas Ergo est rationis particeps.*

4. Obijcere solent hinc etiam summa principia, quæ dicunt demonstrari posse per peculiare genus demonstrationis, videlicet, per declarationem terminorum. Resp. illa declaratio terminorum non est propriè loquendo demonstratio, sed impropriè pro ut vox demonstrationis sumitur pro evidenti ostensione.

XLII. Hactenus vidimus argumenta in excessu peccantium circa divisionem adæquatam demonstrationis, videamus nunc nonnulla argumenta eorum, qui in defectu peccant: Sunt enim qui demonstrationem *τὸ ὄν* eliminare conantur. ut Avicenna, sicuti refert Zabarella *l. de spec. demonstr. c. 8.* & in hanc sententiam probabitur Colleg: Conimb: cum *1. post. c. 16. q. 1. art. 3.* docet. Nomen demonstrationis dici de demonstratione potissima & demonstratione *τὸ ὄν*, solum ut analogum per proportionem. Resp. demonstrationem *τὸ ὄν* esse veram demonstrationem, idq; probarar.  
4. ratio-

1. ratione, quia efficit scientiam. 2. ex Aristotele, 1. post. 1. 23. & 95. vidè etiam Zabarell. de spec. Demonstrat. c. 9. seqq. Item Averr. 1. post. com. 95. & in Log. qq. 15. citante Zabarella; c. cit. 9. de speciebus demonstrat.

Obiectiunculae, quas proferunt hic, sunt. 1. quia Aristoteles non distinguit inter demonstrationem propter quid & quia, quando agit de demonstratione, imò solam demonstrationem propter quid explicat, & reliquam vocat demonstrationem à signo, quod additum diminuit rationem demonstrationis. Resp. Aristotelem dum potissimum agit de demonstratione κατὰ ἐξοχὴν ita dicta, non excludere demonstrationem à posteriori, sed potius includere. Unius enim positio non est alterius exclusio. Deinde illa divisio 1. post. c. 10. traditur & exponitur; quare verò demonstratio à signo vocetur patet ex thes. 39. Concedamus illud additum diminuire aliquantulum naturam demonstrationis, exinde tamen non sequitur hæc sequela: E diminuit totam naturam demonstrationis: Nam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter non. V. Ci

2. Objiciunt, quod hæc demonstratio non reddat intellectum quietum de notitia rei; unde tale oritur argumentum. Quaecumque demonstratio non reddit intellectum quietum de notitia rei, non est vera demonstratio. Sed demonstratio τῆς ὄντις est demonstratio non reddens intellectum quietum de notitia rei. E. Resp. ad minorem eandem negando. Demonstratio enim à posteriori patet nostrum intellectum in cognitione rerum, licet id non præsteret perfectione, quâ demonstratio à priori, uti ex exemplis patet.

3. Dicunt, hanc demonstrationem non nisi analogicam scientiam gignere. Resp. si intelligatur analogia proportionis, nego, si attributionis concedo: Analogia enim attributionis non tollit rei veritatem.

XLIII. Et tantum etiam de argumentis, quæ aliàs proponi solent contra demonstrationem τῆς ὄντις. Sunt, qui negant etiam demonstrationem τῆς δυνάμεως, ut Ramus. lib. 2. Schol. Dial. c. 3. p. 39. verum absque ratione; uti demonstrabimus in conflictu, si petitum fuerit.

Tantum

XLIV. Hæctam de speciebus demonstrationis, dicta sufficiant sequitur ut agam aliquid de regressu demonstrationis.

Præstantia demonstrationis ab effectu elucescit, quia per regressum potest mutari in demonstrationem simpliciter. Est autem regressus reciproca quædam demonstratio, quâ postquam causam ignotam ex effectu noto demonstravimus, majorem propositionem convertimus, minorem loco conclusionis ponimus & conclusionem loco minoris, & eundem effectum per eandem causam demonstramus, ut sciamus propter quid sit.

Omnis causa confusâ cognitione nobis ignota est, & effectus notior est, utpote qui in sensu incurrit, ideò ab effectu noto causam ignotam priùs colligimus, quod fit, quando cognitio confusa est. Verùm postquam causam cognovimus, regredimur ad effectum, ipsumq; per causam demonstramus, quæ cognitio distincta est. E. g. Notum est dari in corporibus naturalibus generationem & corruptionem, sed ignorum an detur materia. Nos autem colligimus à generatione & corruptione tanquam ab effectu, quod detur materia quia videmus in artificialibus mutationibus semper materiam requiri, quæ cognitio confusa est, quia dicit tantum, quòd materia sit, & hinc fit talis demonstratio ab effectu: Quicquid est generabile & corruptibile, habet materiam. Omne corpus naturale mixtum est generabile & corruptibile. E. Quia verò confusè quidem scimus quod corpus generabile sit & corruptibile, cupimus etiam distinctè hoc scire, & quia omnis distincta cognitio est per causam. Hinc conversâ propositione majore, & transpositis conclusione & minore, generabilitatem & corruptibilitatem demonstramus de corpore naturali mixto per materiam tanquam causam. Quicquid habet materiam, est generabile & corruptibile, Atq; corpus naturale mixtum habet materiam. E.



## COROLLARIA.

### Queritur 1.

**A**N omnes homines naturaliter scire appetant? Resp. in hac quaestione praecognoscendum est: 1. appetitum alium esse innatum alium elicitedum: Appetitus innatus est potentia & facultas, perquam, res bonum appetere potest. Estq; vel innatus improprie sic dictus, vel proprie sic dictus: Appetitus innatus improprie ita dictus est naturalis alius rei propensio in objectum aliquod, qua ratione dicitur materia appetere formam: Appetitus innatus proprie sic dictus ab aliis elicitedum: dicitur est facultas tendens in bonum praevia cognitione, eliciens actum appetendi circa illud. Elicitedum 1. alius est rationalis, qui est facultas animae rationalis intellectui contra distincta: alius sensitivus, qui est facultas animae sentientis, & est vel concupiscibilis, vel irascibilis. 2. Alius est merè necessarius, alius merè liber, alius partim necessarius, partim liber. Appetitus porro elicitedum est actus appetendi bonam praevia cognitione sensuali vel intellectuali. 2. hic ut praecognoscimus etiam necessarium est, appetitum alium esse efficacem, alium, in efficacem: Efficax fit cum firmo proposito ad piscendum rem, adcoq; qui fertur in rem, quam consequitur: Inefficax fit per nudam complacentiam & approbationem generalem, & impedimentis intervenientibus facile impeditur, quod minus rem consequatur. Talia impedimenta sunt vel interna vel externa. 3. Hoc etiam hic praenovissimè oportet; Appetitum alium esse ordinatum, alium inordinatum 4. insuper praecognoscere hic debemus, ratione naturale variè hic sumi 1. ut opponitur violento, 2. ut opponitur supernaturali. 3. ut opponitur acquisito. 4. ut opponitur libero 5. deniq; observandum est per scire principaliter hic intelligi scientiam demonstrativam, ampliatè tamen quamvis cognitionem consideratam sub ratione veri & boni. His praemissis fit. 1. conclusio: Omnes homines appetunt scire appetitu innato improprie sic dicto. 2. conclusio: Omnes homines appetunt scire appetitu in nato elicitedum 3. Conclusio Appetitus scientiae est naturalis.

2. Entis per accidens num detur scientia? Resp. D.

3. Anne principiorum primorum cognitio innascatur homini? Resp. Discursus dabit, quid de hac quaestione sentiendum.

ad

*Ad Præstantiss. & Literatiss.*  
*Dn. RESPONDENTEM.*


**R** Arò carinis æquoreis nocet  
Cautes, celerquam navita prævidet :  
Ast mergit haud paucas, nefandam  
Quam tegit, unda, rates nociva  
Aut ense miles, vel galeà, priùs  
Quos cernit hostes sustinet impiger :  
Structis at occultis; licet sit,  
Occubat insidiis, Achilles.  
Nil quippe vel saltem leviùs mala  
Prævisa lædunt, ritè, pericula :  
Discrimen occultum nocere  
Certius & citius videtur,  
Nescire Te illud mi WAGENER negant  
Discursus & quæ prælia sapius  
Misces in hac alma rosarum  
Ardua, sedulitate magna.  
Sic perge nullum Te fugiet genus  
Sententiarum discidio grave :  
Pollebis haud magno labore  
Omnia dijudicare testis,  
Defends theses hæc tuas, labor  
Talis beabit Te patriam & tuam  
Quando brevi dignà coronà  
Tempora cinget Apollo digna.

*A. S. C. gratulabatur*

JACOBUS Rheburgh.








XL. *Demonstratio quæ fit à causa remota* e-  
 clusionem negativam, nunquam affirmativam  
 remotâ, non necessariò ponitur effectus, subla-  
 motâ, tollitur effectus. Unde syllogismi dem-  
 remotâ sunt in *secunda figura* in modo *Camest*  
*quid respirat, habet animam sensitivam, Lapis*  
*sensitivam. E. lapis non respirat.* In hac demo-  
 sensitiva est causa remota respirationis, non pr-  
 sitâ animâ sensitivâ, non ponitur respirationis, p-  
 sensitivam habent, non tamen respirant. Pu-  
 proxima respirationis. Exinde perspicuum est,  
 sa, e. g. *animâ sensitivâ* non posse procedere a-  
 ctum, respirationem. Negativè tamen opti-  
 quentia, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus  
 monstratio à causa remotâ habet aliquam conve-  
 monstratio absolute ita dicta, quia utraq; e-  
 ficit ab ea 1. quia non est causa proxima, per  
 a. quia propositiones non sunt immediatæ. De  
 effectu longè est perfectior illâ, quæ est à causa  
 demonstratio ab effectu propositiones imm-  
 non contingit in demonstratio à causa rem-  
 quata causa est, neque propositiones immediatæ

XL. Sed dicat fortassis aliquis hanc divisi-  
 tionis non esse immediatam, sed dari alia gen-  
 erum idq; probet objiciendo. 1. Averrois opinio  
 genera demonstrationum, aliam *τὴν ὄν*, aliam  
 niq; quâ demonstratur *τὸ ὄν & δῖόν* simul. In  
*com. 95. & in epist. cap. de demonstratione & lib. 2*  
 alibi Resp. Objicienti hoc dubium, non esse  
 strationem aliam *propter quid tantum*, aliam  
*simul*. Nam omnis demonstratio *δῖόν* involvit

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur dem-  
 ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam,  
 monstratio ab effectu ad effectum alium nec  
 Ratio, quia propter necessariam effectuum con-

C



on-  
 usâ  
 re-  
 fa-  
 yic-  
 am  
 ra  
 po-  
 am  
 usa  
 no-  
 ffe-  
 se-  
 de-  
 de-  
 de-  
 rat.  
 ; ab  
 a in  
 od  
 da-  
 ra-  
 io-  
 ria  
 de-  
 ost.  
 &  
 on-  
 uid  
 usa  
 de-  
 m.  
 fla-  
 ria